

† **R. R. Franciscus Echevarría (1876–1938)**

(Prov. Hisp.)

† **R. R. Franciscus Echevarría (1876–1938)**

(Prov. Hisp.)

Nonnulla liceat de hoc Confratre disserere, qui missionibus vere Alfonso-
sianis non suam dumtaxat operam, verum etiam patrimonium contulit, et
quidem per diversas Congregationis Provincias distributum. Donatus paren-
tibus piis ex regione Cantabra oriundis, ipse tamen Matriti primum lumen
aspexit d. 17 Oct. 1876. Pater eius, primum minime dives, labore et sol-
ertia rem familiarem sic auxerat, ut filios, praesertim primogenitum Fran-

ciscum, in Hispania et Gallia apprime educare et labentibus annis sat notabilis pecuniae assignatione ditare posset. In iure civilis Franciscus licentiam obtinuit; inter haec vero studia mundi pericula non semel expertus, eadem prudenter declinabat Sacrum quotidie audiendo et Beatae Mariae Virgini rosarium et officium parvum offerendo.

A. 1899, quam in exercitiis spiritualibus cum Iesuitis ponderarat vocationem religiosam, eam amplexus est cum filiis S. Alfonsi, inter quos



optimo Magistro P. Chavatte¹ peregravit tirocinium internis purificationibus et scrupulis quandoque acerbum, at spiritu obedientiae, humilitatis et precum locupletatum. Inter studia pietas sincera ingenii vires adauxit et vices gessit interdum. Sacerdotio ornatus d. 23 Dec. 1905, studiis absolutis in Lusitaniam a. 1907 mittitur, ubi, foundationibus *Canidello* et *Lourosa* addictus, linguae Lusitanae addiscendae et missionibus incumbit, donec a. 1910 perturbatione publica e regno pellitur atque in Hispaniam recedit. Redux in patriam seriem longam textit missionum tum Conchae tum praesertim Spini, cui ab anno 1920 ad 1931 manet adscriptus, praedicans his duobus lustris 160 missiones et 110 renovationes. Mense Decembri a. 1931 in Lusitaniam revertitur, usque

ad mortem Augustae Bracarum confessionum pondus in ecclesia portaturus, nec raro flammansuam missionalem denuo accensus.

Patrem Echevarría ex suggestu in missionibus dicentem haudquaquam diceres Demosthenem eloquentia raptum. Attamen, qua ipse praeditus erat indole et virtutum copia, re vera dignus Congregationis missionarius efficiebatur, atque in oppidulis praesertim ruralibus ac inter montanas turmas adiumentis spiritualibus destitutas amplam animarum segetem caelo mesuit. Generatim loquendo annus eius apostolicus hoc pacto dispertiebatur: mense Septembri, statim post festum Nativitatis Beatae Virginis, cum socio missionario proficiscebatur et in opere perstabat, missionem missioni annectendo, usque ad Natalis Dominici sollemnia; quibus domi devote transactis, ab Epiphania Domini iterum regrediebatur ad missiones et potissimum renovationes, donec post festa paschalia in solitudinem domus nostrae sese recipiebat, non amplius per aestatem exiturus nisi ad quasdam contiones de festo vel ad exercitia religionis tradenda. Domi itaque orationi et lectioni incumbere necnon et sequenti cursui missionali per epi-

¹ *Analecta* 1932, 182-189.

stolas praeparando atque suis eleemosynis per diversas Congregationis Provincias distribuendis.

Quae his sex annuis missionum mensibus inest religiosa abnegatio, eandem P. Echevarría singulis cuiusque missionis actibus indidit. En quae de illo scribit alius in missionibus Spinensibus per octo annos socius: « Quotidie integras breviarii partes recitabat; totam Quadragesimam sanctificabat ieiunio; in itineribus non nisi rarissime ad cauponas devertebatur, sed quod secum portabat paululum cibi et potionis sumebat in aliquo stationis ferroviariae angulo. Quae in oppidulis et pagis meliora parabantur in servitium missionariorum, ea ipse quoad habitationem et supellectilem socio reservabat; si quod autem sacellum a paroecia distans visendum missionis tempore erat in eoque per aliquos dies ruricolis aut opilionibus in spiritu colendis prospiciendum, id pariter sibi seligebat, nec unquam omittebat vel contrahebat exercitia his pauperculis animabus destinata ».

Haud itaque mirum si populus tantae caritatis testis libenter verba missionarii excipiebat. Ipsum praeterea intuebatur in oratione constantem, erga omnes semper affabilem et subridentem, in qualibet hora paratum ad animas cum Deo per confessionem reconciliandas, omnis lucri cupiditate prorsus vacuum, immo suis bonis patrimonialibus subvenientem parochi et missionis necessitatibus, interdum etiam adiuvantem puellas dote ad statum religiosum necessaria egentes vel pueros in iuvenatum ingredi concupientes.

P. Echevarría missiones exteras sua ipse pecunia efficacius forsan nutriebat quam Hispanas; quare, ut speramus, illius nomen inter insignes missionum nostrarum benefactores manebit. Ipse autem hoc pacto moderatorem suae conscientiae consulebat: « Missiones nostras stabilivi in decem Provinciis et Vice-Provinciis. In Italia ad hunc finem summam 180 000 lib. impendi; quare, in grati animi testimonium, nomen meum Neapolitani Confratres ad S. Alfonsi sepulcrum scripsere. Attamen fateri debeo me his negotiis pecuniariis esse distractionibus obnoxium, quas effugere curo »¹. Distractiones inde proveniebant, quod sua generositate non domos aut Provincias qua tales iuvare, sed earum activitatem apostolicam gestiebat remunerari et fovere; hinc numerum exigebat et seriem perspicuam apo-

¹ En quomodo Redemptoristae Neapolitani suum gratum et dolentem animum expriment: « Braga (Portogallo) è morto il P. Franc. Echevarría, nostro ardente missionario, che non contento di esercitare il suo zelo instancabile aiutava anche gli altri a santificare le anime, approfondendo le sue energie e i suoi averi. Le Province redentoriste italiane gli sono largamente riconoscenti per gli aiuti avuti ed ora implorano dal Cielo la giusta ricompensa per il bene operato » (*S. Alfonso*, 2 aprile 1938).

stolicorum laborum pro quibus intendebat pecuniam rependere. Inter alia opera quae eius munificentia aluit memoranda est editio Lusitana « Praxis amandi Iesum Christum ».

P. Echevarría enixis viribus et serio conamine abnegationem sui ipsius et perfectionem religiosam quaerebat. Sibi ipse nec folia publica quotidiana concedebat legenda nec etiam recreationis tempore animum a rebus divinis avellebat. Si quando autem, aliorum factis aut dictis lacessitus, eius indoles ad iram prona ostendebatur, ipse sine mora in concordiam animum suum revocabat. Eximium renuntiationis exemplum exhibuit, cum prope sexagenarius atque iam vix memor Lusitanae linguae, quam abhinc 25 annis didicerat, suscepit alacriter onus contiones suas in alienum sermonem vertendi ac labores amplexus est incipientibus foundationibus annexos. Zelum apostolicum, quem ob hanc causam minus foris promere poterat, in nostra ecclesia fructuose exercebat, ubi ultimam diei Missam sibi delegerat spiritu sacrificii actus, et ubi magnam diei partem in confessionali ducebat, excepturus comiter quemlibet ad se venientem atque interim manu tenens sive librum pium sive breviarum sive Beatae Mariae Virginis rosarium. Inde tamen suae conscientiae moderatorem his verbis consulebat: « Non praedico saepe, sed in confessionali toto matutino tempore occupor. Menti meae cogitatio observatur me Pl. R. P. Provinciali offerendi in ministerium quod generatim minus iucundum existimatur, excipiendi nempe iuvenistarum confessiones; ex alia vero parte existimo meam hic operam esse in ecclesia pro confessionibus valde necessariam ».

Haec praevisa mutatio non accidit. P. Echevarría, cuius corona erat iam in caelis prorsus contexta, aeternitatem ingredi debebat tanquam signifer Alfonsiani in fundatione Bracarense vexilli. Morbus inopinato contractus dilectum Confratrem quinque diebus e vivis sustulit. Medio namque Februario a. 1938, cum de more deambulatum exiisset ex necessitate auram carpendi ac sese movendi, in congestionem pulmonarem incidit cordis debilitate graviorem. Serenus animo finem vitae adventare prospexit seque omnibus Ecclesiae sacramentis muniendum curavit, veniam insuper universae Communitatis implorans et vota religiosa renovans ante SS. Viatici susceptionem. Tum vero die 19 Februarii hora quarta matutina placide obdormivit in Domino. Semina autem quae ex confessionali in animas sparserat, florere tunc cerneret in labiis populi dicentis occasione exequiarum: « Mortuus est vir sanctus » (*el santito*); aut dioeceseos Vicarii Generalis coram seminaristis exclamantis: « Hodie Bracarum vir iustus mortuus est ».

R. I. P.